

7+8/86

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



TOMUS 9

FASC. 60

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKADIS editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Prætiū subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris transmaria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Edalricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographæum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

Egregii legentes

Amicus sociusque operis noster Martinus Meier in priore RUMORIS VARIII fasciculo (5+6/86, p. 54/55) sub titulo "Non olet!" narravit de consiliis, quae collegium redactorum RUMOREM VARIUM curans concessu suo die 3° mensis Maii hoc anno habito ceperat. Quae, ne eorum obliviscamini, hic repetam: Illo concessu statuimus,

- ut inde (a fasciculo 5+6/86) commentariorum nostrorum tribuerentur quinquageni centesimi Helvetici (Fr. --.50) lineae unicuique in RUMORE VARIO divulgatae;

- ut non tota linea tantum, sed etiam incepta numeraretur, quam si esset tota;

- ut praemia solverentur bis in singulis annis, i.e. die 30° m. Iunii et die 31° m. Decembris, primum autem die 31° m. Decembris anno 1986°;

- ut praemia tantummodo solverentur eis, qui viginti lineas vel plures composuerint (exemplum afferam: Lectoris Y. carmen decem linearum divulgatur mense Octobri. Die 31° m. Decembris nihil obtinebit Y. Mense Martio iterum carmine decem linearum divulgato die 30° m. Iunii decem francos Helveticos (Fr. 10.--), i.e. vicies quinquaginta centesimos, accipiet);

- ut de textibus seu divulgandis seu non divulgandis neque scriptorie neque telephonice disputaretur.


De his consiliis captis Martinus Meier - ut supra dixi - vos iam priore libello certiores fecit. Quid ergo

cunctamini, cari amici RUMORIS VARIII? Cur non stilo capto statim textus Latinos componitis de feriis - ut exemplum dem - vestris aestivis hoc anno peractis? Imprimis discipulos diligenter monemus, ut modestia falsa deposita ea Latine expriment, quae eis cordi sunt. Nolite errores, menda, lapsus linguae timere, sed semper audete! Qui ausus erit, vincet; textibus suis RUMORE VARIO divulgatis non modo stipendia accipiet, sed etiam amicos novos e numero RUMOREM VARIUM legentium sibi parabit.

Sint vobis feriae aestivae felices! Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



## Ad deorum convivium invitamur

Viginti tres discipulae classis tertiae gymnasii sumus. Nuper magna res nobis cōtigit. Quam vobis hodie narratione sumus. Commoditatis causa autem plerumque praesens tempus adhibebimus.

In auditorio sumus et arti grammaticae linguae Latinae operam damus.

**Magistra:** Heus puellae, vos nunc int̄rogo de verbis Latinis. Quid est passivum praesentis infinitivi verbi "habere"?

**Natalia :** Haberi.

**Magistra:** Optime. Nunc autem us̄ exemplum proferte!

**Maya :** Bonum exemplum habeo. Mercurius deus Iovis nuntius habetur.

**Magistra:** Recte dicis, nunc autem...

Subito auditorii fores aperiuntur. Conspicimus adolescentem vestitu commodo indutum, id est bracis 'Jeans' et tunicā brevi.

**Magistra:** Quid vis, bone vir? Visne lumen reparare? (Nam lumen in auditorio nostro saepe reparandum est).

**Adolescens:** Nolo reparare, optima. Operarius non sum. Sum Mercurius.

Omnes rident. Magistra quoque ridet.

**Orsolya :** Venit fortasse e Mercurii taberna, ubi chocolata et potus Arabum veneunt.

**Adolescens iratus:** Non chocolatae venditor sum. Sum Iovis nuntius.

Omnes stupent. Magistra quoque stupet.

**Gabriela:** Recte dicis. Habet sane alas in pedibus.

Omnes laetitia affectae clamant: Salve Mercuri.

**Mercurius:** Salvete omnes. Vobis nunc afferō bonum nuntium. Quoniam sedulae estis et linguae Latinae summo studio vos deditis, Iupiter Optimus Maximus ad deorum convivium vos invitat.

**Daniela:** O nos felices!

**Sandra:** Gratias maximas Iovi agimus.

**Magistra:** Libenter ad convivium veniemus.

**Paula:** Quomodo autem iter ad Olympum faciemus?

**Mercurius:** Nolite timere, carissimae. Phoebus Apollo curru suo huc veniet. Omnibus locus dabitur.

**Esmeralda:** Quando Phoebi currus veniet?

**Mercurius:** Sextā horā.

**Angela:** Ubi currum exspectabimus?

**Mercurius:** Vehiculum exspectate ad fenestras auditorii apertas!

Omnes verbis dei plausum dant. Tum Mercurius e conspectu évolat. Nunc autem, id quod sequitur, breviter narrabitur. Aliter fabula nostra vobis nimiam molestiam afferret. Profecto convivio Iovis adfuimus. Erat sane non convivium modo antiquo, sed omnes convivae stantes cibos sumpserunt. Permultos deos deasque vidimus, scilicet Iovem conviatorem, virum eleganter vestitum. Iuxta eum erat Minerva,

sapientiae dea, filia Iovis amatissima. Erat sane ornata perspicillo maximo. Tum autem Venerem deam aspeximus, feminam pulcherrimam, modo Marilyn Monroe, de qua Mars deus oculos deicere non poterat. Subito triclinii fores aperiuntur et Amor vel Cupido in vehiculo automobili sumptuoso sedens apparet. "Salve, mi filii", exclamat Venus magno gaudio affecta. Et omnes convivae deum suavissimum laetis animis accipiunt. Imprimis Iupiter eum in deliciis habet. Amor est enim tam pulcher quam mater eius. Iuno autem, Iovis uxor, contenta non est, immo vero Cupidinem in hostium numero putat. Iuno sola modo prisco vestita mores veteres conservare vult. Tum inter risus sermonesque convivarum Apollo, deus spectatissimus, cum musicis suis canere incipit. Euterpe et Terpsichore Musae magno studio maioreque strepitu musicae "pop" se dedunt. Tum Bacchus iam vino gravis in scaenam prodit et magna voce cantare incipit. Iupiter autem "Heus, amici," inquit "carpite diem divinum, edite, bibite, cantate, saltate!" Et iam magistrae nostrae appropinquat summa elegantia terram pedibus pulsans. Et iam ambo ridentes et saltantes e conspectu nostro evolant. Iterum fores aperiuntur et Diana venatū dea cum cerva alba apparet. "Vobis" inquit "aprum magnificum apporto." Ecce nonnullos famulos aprum ingentem iam assum veru portantes! Omnes convivae fame pulsati ad aprum accurrunt et iucunde cenant. Nos quoque libenter edimus et nectarea aqua sitim depellimus. Proximo die autem nonnullae discipulae epulis deorum oneratae schola aberant. Nam "plenus venter non studet libenter" ut est in proverbio.

Classis tertia gymnasii Theresiani



## De nivicandida et septem nanis

Narrationis pars altera

Regina paucis diebus post specillum denuo interrogavit et specillum aequali modo respondit. Tum noverca ira incensa iterum domui nanorum appropinquavit et nivicandidae pectinem pulcherrimum vendidit.

Pecten autem veneno intinctus erat. Regina venditrix pectinis acumina in puellae capite defixit. Puella misera exanimis decidit. Paulo post nani domum remeantes nivicandidam humi prostratam viderunt. Pectine extracto puella ad vitam rediit.

Regina pessima semper inquieta rursus specillum interrogavit, quod responsum idem dedit. Furore immani commota regina malum pulcherrimum parte album parte rubrum sumpsit venenumque mortiferum in partem rubram immisit. Tum more rustico vestita domum nanorum petivit et nivicandidae malum vendidit. Cum puella suspicionem aliquam haberet, regina albam partem ipsa momordit, puella autem rubram degustavit. Heu miseram nivicandidam! Statim exanimis decidit. Regina domi denuo speculum interrogans hoc laeto animo audivit: "O Regina, nunc es omnium pulcherrima". Nivicandida enim mortua erat. Sub vesperum nani reversi sunt et puellam mortuam invenerunt. Multis cum lacrimis puellam aqua vinoque laverunt, deinde oleo fricuerunt. Labores eorum sane nihil profuerunt. Multum flentes nani arcam vitream construxerunt puellamque in eam deposuerunt. Deinde arcam in summo monte collocaverunt. Corpus nivicandidae vero non putrescebat. Multi anni abierunt. Quodam die filius regis illuc venatum venit et arcam vidit. Amore puellae commotus iterum iterumque a nanis petivit, ut sibi liceret arcam emere. Nani misericordia iuvenis adducti postremo arcam vendiderunt. Quam filius regis umeris servorum ad regiam transportari iussit. Unus e servis autem in itinere pedem ad arborem offendit. Qua de causa malum e gutture puellae evomitum est. Nivicandida sane oculos

aperuit. Omnes magno gaudio affecti regiam petiverunt. Nivicandida amore iuvenis capta ei a nanis nuptum data est. Noverca quoque ad nuptias invitata est. Speculum ei ante dixerat reginam novam pulcherrimam omnium esse. Noverca tamen ad nuptias venit et nivicandidam agnovit. Iam calceoli ferrei supra focum positi erant. Noverca pessima autem coacta est, ut in calceolis candentibus saltaret, dum mortua procideret.

Barbara Maier



## DE MULIERIBUS VIRISQUE SANCTIS HELVETICIS

### De Urso et Victore

Paucos tantum milites Aegyptios caedem prope Agaunum effugisse superiore loco legimus. Inter quos erant Ursus et Victor, qui per Helvetiam errantes die quodam Salodurum pervenerunt in oppidum antiquissimum ad ripas Arurae fluminis situm.

Ibi Hirtacus pro imperatore provinciam gubernabat. A Maximiliano certior iam factus Ursum Victoremque cepit dicens se eos liberaturum esse, si antea fidem Christianam deposituri fuissent. Quos invitos in carcerem misit. Ibi autem angelus eis apparuit, catenas dissolvit, viros consolatus est, ut hilari fierent animo. Hirtacus cum agnovisset capitvos esse laetos, statim eos perdere decrevit. E carcere in aream magnam sunt ducti et ultimum interrogati: "Vosne nunc deis immolabitis? Nisi immolaveritis, morti trademini!" Qui "Fac, quod vis", responderunt, "at nos nemini nisi Iesu Christo obtemperabimus!"

Tum Hirtacus ignem ingentem inflammari iussit, Thebaeos vinciri, vinctos flammis tradi. At flammae imbris ex improvise cadentibus exstinctae nocere non potuerunt. His visis Hirtacus ira conflatus imperavit, ut gladio perirent. In Arurae ripa decapitati sunt atque corpora eorum neque non capita flumini illata. Cum Hirtacus populusque spectandi cupidus domum redire vellent, ecce, Ursus et Victor ex aqua emerunt capita manibus ferentes. Lente gradientes ad eum locum processerunt, quo sepeliri cupiebant.

Multis saeculis post Habsburgiorum dux Leopoldus Salodurum oppugnavit. Die noctuque deliberabat, qua ratione urbem caperet. Denique ei aditus secretus neque custoditus a proditore quodam ostentus est. At cum media nocte cum militibus penetrare vellet, duo homines ingenti magnitudine bene armati eum prohibuerunt, quominus intraret. Quos tremens Leopoldus cognovit esse Ursum et Victorem. Oppidum a talibus viris sanctis protectum non esse capiendum cernens pacem iniit cum Saloduriensibus.

Martinus Meier

## Aenigma

- 1) regio Asiae
- 2) tempus, quo non laboretur
- 3) origo imbris (Dat.sg.)
- 4) fulgor
- 5) affectus animae a Cupidine effectus (Abl.)

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

## His autem nostris diebus.....

PYXIS NAUTICA (CAPSULA ACUS MAGNETICAE) SIVE COMPASSUM AD MECCAM SACROSANCTAM URBEM MAHOMETANORUM SEMPER ACCURATE COMMONSTRANS

Duo ingeniarii Mediolanenses, fratres natione Itali Gabrius Stephanusque Bini (filii), interea pyxim nauticam composuerunt, cuius acus semper accurate (ad) Meccam urbem monstrat et ideo muslimis (seu Mahometanis) adiumento sive auxilio esse potest. Ingeniarii enim Mediolanenses in terris Arabicis vicissim observaverunt muslimos (sive Mahometanos), incerta cognitione rerum caeli regiones desperate recognoscentes, quoniam quidem muslimos precantes faciem urbi sacrosanctae advertere decet.

AMICUS




## Facete lepideque dicta

Pro praeceptis medicis quae legi non potest


Pharmacopola seu apothecarius seu medicamentarius assistens et pharmacopola seu apothecarius seu medicamentarius princeps repositorium apothecae seu pharmacopolii seu tabernae medicamentariae inspiciunt. Tum apothecarius assistens: "Et cuiquam rei tandem prodest ampulla haec ingentis magnitudinis?" - Tum apothecarius princeps: "Ampulla illa haec praegrans unice praeceptis medicis non clare scriptis, quae legi vis aut non potest, prodest!"

\* \* \* \* \*



Ultio seu vindicta  
pusilli hominis

Cupio lubenter, quaeso,  
emere psittacum, qui uxore  
mea clarius loquitur!



Veniam abs te peto, ignoscas  
mihi, sed pro certo sumpsi  
putavi que filiam tuam hoc loco  
in balneo esse lavari que!



### Dissensio fatalis

Mulier quaedam in questus se profundens medicum gynaecologum adgreditur verbis his: "Medice mi, omnino non possum concipere infantes, precor nunc abs tetemet, ut me iuves ad destinatum adsequendum!" Tum medicus: "Lubenter tibi te satisfacere petenti volo. Exue te ilico rectissime, detrahe extemp(u)lo stolam et decumbe quam celerrime omnino fieri potest illuc!" Tum mulier vehementer erubescens: "Vir tute impudice procaxque praepropereque, nam quod ad illam rem spectat delicatissimam saltem quidem primum lubenter infantem a marito meo habere cuperem!"

\* \* \* \* \*

### Res haud facul interpretanda

Venit emptor quidam in medicamentarii tabernam seu apothecam seu pharmacopolium: "Lubenter", inquit, "haberem remedium efficacissimum contra taenias!" Tum pharmacopola seu apothecarius seu medicamentarius: "Utrum remedium illud pro adultis est destinatum an non?" - Tum emptor indignabundus obstupefactusque: "Quid me vis, quid hoc ad me, undenam terrarum gentiumque scire possim, qua aetate taenia (Bandwurm) illa, quot annos siet nata?"


AMICUS

## Nuntii miri e scientiis

### Regina noctis

Florum atque potissimum cactorum amantes laborem nullum fugiunt et ipsam noctem pervigilant, ut illam cactum re et veritate mirificam, quam reginam noctis vocant, possint admirari, nam solum noctu se aperiunt expanduntque flores XXX centimetra magnos atque mirabiliter olentes. Postero seu insequenti die de venustate magica illecebrosaue iam actum est. Patrium solum illius speciei cactorum, quae botanice *Selenicereus grandiflorus* nominatur, est Mexicum.

AMICUS



Cactum "Regina noctis" appellatam photographavit Alfredus Schneider Oerlikonensis noctu florentem

## SOLUTIONES



De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium      secundum praemium      tertium praemium

Harald Jenk	Ursula Urner	Florindo di Monaco
Flurweg 8	Schwandenstr. 6	Via Michele Monaco 152
3098 Köniz	8802 Kilchberg	I-81054 San Prisco

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Domus editoria  
Rumoris Varii



## CERTAMEN CAPITOLINVM XXVIII

INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensas adiuuantibus Administro bonis cultus humani civilisque servandis et Romanae civitatis Magistro, ad novum Capitolinum certamen omnes omnium gentium Latinarum Litterarum Linguaeque studiosos homines invitat.

Certamen praeterea proponitur in duas partes divisum.

Quod ad priorem partem attinet, iudicum collegium attente considerabit ac sine provocatione iudicabit doctorum virorum opera in lucem edita annis tantum MCMLXXXV et MCMLXXXVI: victori praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen atque annum diemque certaminis praeferens. Huic sigillo sescenta denariorum Italicorum milia adiecta sunt.

Quod autem ad alteram certaminis partem pertinet, iudicum collegium attente considerabit et iudicabit iuniorum studiosorum opera ad ipsum Institutum missa pridie Kal. Febr. proximi anni (vide caput III Certaminis legum). Qui victor de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa iuvenis nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri trecenta milia denariorum Italicorum adiecta sunt.

### CERTAMEN CAPITOLINVM XXXVIII

OMNIBVS LATINARVM LITTERARVM LINGVAEQVE  
STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM  
A. MDCCCLXXXVI



INSTITVTVM ROMANIS STVDIIS PROVEHENDIS



Ceteri petitores utriusque partis Certaminis, qui digni habiti sint, laude ornabuntur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis Romanae civitatis Magister renuntiabit.

### Leges Certaminis

I) Operibus ad Latinam linguam, ad artem grammaticam, ad historiam litterarum Latinarum pertinentibus certare licet. Excipiuntur compilationes et scripta puerorum gymnasiis destinata.

Etiam operibus ad alteram certaminis partem pertinentibus impressus sit annus MCMLXXXV vel MCMLXXXVI: libelli omnes Latino vel nostrae aetatis sermone, id est Britannico, Francogallico, Germanico, Hispano et Italico scribantur neque praemio vel laude iam sint ornati.

Praemium vel laus non illis deferetur qui e vita excesserunt.

II) Alterius partis petitores omnes licebit certamen adire **uno libello**: petitores vero pridie Kal. Febr. a. MCMLXXXVII non amplius triginta quinque annos nati sint.

III) Tres libellorum suorum exemplaria, tabellariorum diligentiae commendata, mittant scriptores aemuli ad **Istituto Nazionale di Studi Romani, Ufficio Latino, Piazza dei Cavalieri di Malta 2, 00153 Roma, ante Kal. Febr. proximi anni.**

IV) Tres viri iudices erunt ab Administro bonis cultus humani civilisque servandis et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Opuscula - iudicio publicato - non remittentur, sed auctoribus praesto erunt, ut suum unicuique reddatur, apud Institutum Romanis studiis provehendis, quod unum exemplar servabit. Scripta, quae auctores non abstule-

rint, sexto exacto mense post iudicium publicatum, non reddentur.

D. Roma Kal. Mai a. MCMLXXXVI ab V.c. MMDCCXXXVIII

ALOISIVS DE NARDIS

Praeses Instituti



### *De itinere exploratorum (1) Einsidlensi*

Quotannis exploratores Turici vicorumque circumiacentium iter vel peregrinationem nocturnam suscipiunt Einsidlam, in locum illum sacrum, ubi sanctus Meginradus florebat. Hoc anno primum et ego inter eos fui, qui media nocte prope stationem traminum Wollishofensem expectabant, ut signum profisciscendi daretur. Una cum duabus puellis quattuordecim annorum atque amico quodam novissimo in agmine migrabam officio praeditus, ut laesos colligerem et deviis viam rectam ostenderem.

Per tribus Turici atque vicos propinquos velut Rüschtikon, ubi amici nostri Emanuelis Bernardi memineram, via facilis erat inventu, neque vero in silvis tenebrosis prope stagnum Gattikonense (2) sitis. Exploratoribus ante nos migrantibus et iam propter iter nimium neque non propter stationem ciborum longe distantem lamentantibus confiteri debuimus nos via erravisse. Quo facto ululatus exortus est ingens: "Quo nos duxistis, furciferi? Quando cibos sumemus? Ubi Einsidla est? Nollem umquam profecti essemus!"

Thomas autem, amicus meus et explorator iam ex multis annis, quiete servata ac charta geographica iterum iterumque inspecta nos Deo favente eo duxit, ubi (nutrimentum) viaticum iam expectabat: iusculum (3) fervens et pastilla farta (4) et ventres et animos recreabant!

Interea tempus processerat atque nos die expergiscente per regionem miram amoenamque, sed melancholiam quandam provocantem migrabamus transeuntes vicus Hirzel, Schönenberg, Hütten, ubi - nescio, an ob melancholiam supra dictam - numerum suicidiorum maiorem esse quam in reliqua Turicensis pagi regione legeram. Nihilominus laeti fines pagi Suitensis (5) penetravimus. Horae nonae minuta quinta decima (8.15 h) migratione horarum septem minutarumque quadraginta quattuor peracta fessi Einsidlam advenimus.

Ibi exploratoribus tam strenue ingressis non insigne tantum quoddam traditum est, sed etiam ientaculum copiosum. Utro magis gavisus sint, iudicare non audeo!

Thomas egoque itinere tam feliciter peracto ecclesiam magnam Einsidlensem intravimus, ut Deo virginique Deiparae Mariae gratias ageremus. Summa reverentia artificium quoque magnificentissimum admirabamur, quod homines olim in maiorem Dei gloriam construxerant. Non vanis et saecularibus bonis erant largiti, sed Deo colendo et venerando. Hodie multi sunt, qui dicant pecuniam melius in leniendam pauperum miseriam quam in fana aedificanda esse largiendam. Ita iam pharisaei iudicaverunt, cum mulier quaedam oleum pretiosum super pedes Iesu Christi funderet. Quid eis Iesus respondit? - "Sinite eam! Pauperes enim semper habebitis, ego autem a vobis recedam!" Hodie milliarda francorum in ludos sortilegii (6), in potiones alcoholicas, in arma letifera, in autocinetas, in ornamenta multasque res alias ad vitam non necessarias sine ullo dubio expediuntur - nemine clamante! Quam si pecuniam miseris distribueremus, magnam miseriam lenire possemus! At hoc nemo audire vult. - Ubi primum autem domus Dei aedificatur, statim societas nostra occidentalis "neopagana", quae dicitur, queritur, quod pauperes non adiuventur.

Haec igitur mente volvens imagines, tabulas, altaria, statuas artificiaque omnium generum sum contemplatus et gavisus, quod mens humana non ad destruendum tantum, sed ad construendum quoque est apta.

Precibus nostris confectis animo confirmati foras exiimus stationem traminum petituri, ubi exploratores tramen Turicense conscenderunt, ego autem tramen Wolleraviense (7), post operas nimias migrandi amplexibus amicalae meae dulcissimae fructurus!

1 explorator,-oris,m.	Pfadfinder, éclairneur, scout
2 stagnum Gattikonense	Gattiker Weiher, étang de Gattikon, Gattikon swamp
3 iusculum,-i,n.	Suppe, soupe, soup
4 pastilla farta,-ae,f.	Sandwich
5 pagus Suitensis	Kanton Schwyz, canton de Schwyz, canton of Schwyz
6 ludus sortilegii	Glücksspiel, jeu de hasard, game of chance
7 tramen Wolleraviense	der Zug nach Wollerau, le train de Wollerau, the train to Wollerau

Martinus Meier



## MORTES

Tenzing(ius) Norgay(us), ductor montanus natione Tibetus clarissimus, tigris nivium qui dicitur, LXXII annos vitā defunctus.

Exegi monumentum aere perennium.

Quintus HORATIUS Flacchus ( 65-8 a.Chr.n.),  
Carmina III, 30, 1

Tenzing(ius) autem Norgay(ius), ductor montanus seu oribates, natione Tibetus e tribu sherparum (Tibetice: sher-pa = populus ex oriente) anno 1914° (die non accurate certo) Solokhumba in loco regni Nepaliensis est natus. Sed iam puer e domo subterfugit parentum in terram tribus sherparum gentis Bhotiarum seu Tibetorum atque in regione

Montis qui dicitur Everesti (Tibetice: Tshomolungma, Sinice: Jolmo Lungma, Indice: Sagarmatha) locum parvum domicilio delegit eoque loco sedem constituit. Mons autem Tshomolungma qui Everesti nunc dicitur (secundum Seniores Georgium Everest(ium), 1790-1866, natione Anglium mensorem terrae seu geometrem Indiae olim Britannicae) ad altitudinem re et veritate 8848 metrorum (29028 pedum) supra maris libram adsurgit. Mons autem Everesti qui dicitur in lingua Bhotia seu Tibetica (lingua Tibetica seu Bhoti(c)a pertinet ad partem Tibeto-Birmanicam linguarum Sino-Tibeticarum) Tshomolungma (mons) vocatur: id est mater dea terrae.

Tenzing(ius) autem Norgay(us) aliquot post annos sedem tandem fixit in Darjeeling(io) oppido in regione Bengalicae Occidentalis Indiae. Anno autem 1935° - paene 21 annos natus! - in dies singulos magis convalescens Tenzing(ius) Norgay(us) iam comitem participemque (ut baiulus sive gerulus) expeditionis montanae investigatoris cuiusdam Anglici Senioris Erici Shiptonis (Sir Eric Shipton) factus est. Bello autem mundano seu pancosmio II° paene peracto Tenzing(ius) Norgay(us) ad gradum qui dicitur "sirdaris" (Tibetice: sirdar = dux gerulorum seu baiulorum) pervenit atque dignitate auctoritateque gerulorum seu baiulorum ducis exornatus magnam multitudinem expeditionum montivagarum est comitatus. Alto dignitatis gradu ductoris montani decoratus ut "sirdar" expeditionis montivagae Britannicae auspiciis tribuni militum Senioris Iohannis Henrici Caecilii Hunt(ii) (Anglice: Sir Henry Cecil Hunt) die Mercurii - quarta feria - 22° mensis Iunii anno 1910° nati atque ductu Senioris Edmundi Percivalis Hillary(i) (Anglice: Edmund Percival Hillary) natione Novo - Zelandii, Aucklandio in oppido Novae Zelandiae die Solis seu dominico - prima feria - 20° mensis Quinctilis seu Iulii anno 1919° nati Tenzing(ius) Norgay(us) primus adverso colle evasit ad summum montem Everesti qui dicitur seu Tshomolungmae anno 1953° die Veneris - sexta feria - 29° mensis Maii et hora accurate 11.30 (undecima et dimidia) in verticem iugi Everesti Montis omnibus nervis contentis enixus est. Summo

(in) monte Tenzing(ius) Norgay(us) - illo tempore iam 39 annos natus! - per 15 minutas (per quadrantem horae) temporis otium egit photographemata faciens atque libum mellitum edens. Tenzing(ius) autem Norgay(us), buddhista penitus devotus, summo (in) monte diis deabusque buddhisticis cibaria libavit. Quibus rebus pie gestis tum frugibus libatis sacrisque diligenter religioseque erga deos deasque factis Tenzing(ius) Norgay(us) feliciter e monte summo descendit.


Facinore autem illo forti ac memorabili feliciter peracto rebusque illis praeclaris fortiter gestis Tenzing(ius) Norgay(us) summis laudibus ubicumque terrarum locorumque gentiumque celebratus elatusque unaque voce unoque consensu approbatus etiam ordine Sancti Georgii Britannico amplissimo honore est ornatus multisque et aliis ornamentis est adfectus. Ex sententia omnia ei successerunt optataque contigerunt. Anno autem 1955° Tenzing(ius) Norgay(us) Iacobo Ramseyo Ullmanno collaboratore libros de memoria vitae suae confecit qui inscribuntur "Tigris nivium" (vulgo Anglice: Tiger of the snows).

Die autem Veneris - sexta feria - 09° mensis Maii anno 1986° Tenzing(ius) Norgay(us), ductor montanus, alpinista, montium ascensor seu oribates inter omnes clarissimus, ortu Tibetus, tribu sherpa, cuius fama est per omnes propagata terras, vir ingentis spiritus virtutisque suae sibi semper conscius, probus, integer, honestus, splendor autem ordinis montium ascensorum, Darjeeling(io) in oppido (Bhotice seu Tibetice: Dorjeling = campus fulminis ictus) in regione Bengalicae Occidentalis Indiae sito diem obiit extremum.

Primus autem ascensor Everesti qui dicitur Montis omni laude dignus omnique virtute ornatus, de montium ascensione seu oribasi optume meritus, qui totam aetatem in montium ascensione seu oribasi contrivit omnemque vitae cursum in montium culminibus confecit, totam revera operam impendit in vitae verum et optimum et summum, vir ingenio uberrimo affluens admirabili dote ad montium ascensionem seu oribasim praeditus, cui nihil a natura est denegatum, exemplar seu specimen eximiae virtutis, interea iter iam

supremum incepit extremumque huius vitae montem nunciam vero tandem superavit.

Abiit ductor montanus, tigris intrepidus impavidusque nivium qui dicitur, sed semper grata memoria eius eiusque rerum gestarum immortalium in omnium ubicumque terrarum gentiumque mentibus haerebit, florebit, vigebit atque nominis illustris famam superstitem illius viri virtute ingenioque singularis excipient omnes anni consequentes.



In photographemate: a sinistra (parte) ad dextram (partem) Senior Edmundus Percival Hillary(us), Senior Iohannes Henricus Caecilius Hunt(ius), sherpa Tenzing(ius) Norgay(us).

AMICUS

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift


AZ

8050 Zürich

7+8/86

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



TOMUS 9

FASC. 60